



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet**

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &  
Festos, ab ipso Auctore confectus

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1651**

11. Trium puerorum, Fortunæ authore[m] Deum agnoscentium, generosa  
patientia & fructus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45653**

hymnos, ad grati animi significationem, ad Deum transmittent, quòd videlicet vinculis constricti, quòd in fornacem missi, quòd patrijs sedibus exturbati, quòd captivi adducti, quòd libertate spoliati fuissent, nam hoc probi & grati animi est. Postquam autem hostium improbitas, parribus omnibus absoluta fuit, & pugilum virtus expleta, & corona eorum contexta; nec iam ad gloriam, & nominis splendorem quidquam restabat; tunc mala depelluntur, & qui fornacem accenderat, & eos graui supplicio addixerat, idem sanctos illos pugiles miris laudibus effert, & miraculum à Deo editum prædicat, & literas ingenti laude conferias quoque gentium mittit, ea, quæ acciderant, commemorans, idoneum testem & fide dignum diuinorum miraculorum se præbens. Hostis enim cum esset, apud hostes etiam ab omni suspitione remota erant, quæ ab eo scribebantur. Vidisti Dei sapientiam? Hæc S. Pater.

- XI. Ex quo facto intelligimus, tres pueros, tanquam aurum in fornace probatos, liberari sanè potuisse, ne in fornacem proijcerentur, sed illis ipsis magis profuisse, vt eorum innocentiam, diuinæ potentia miraculo ignis illustraret. Quod sanè factum non fuisset, nisi credidissent, Deum esse, qui & permittere talia soleret, & eripere, quos vellet, posset. Ecce, aiunt, *Deus noster, quem colimus, potest eripere nos de camino ignis ardentis, & de manibus tuis, ô rex, liberare.* Quasi dicerent, eiusdem est, mortificare, & viuificare, deducere ad inferos, & reducere. Quòd autem, non Casui, non Fortune, non Fato suo eam tam lugubrem scenam ascripserint, sed Deo, ad quem oratione sua confugerunt, audi Azariam, in medijs flammarum incendijs, orantem: *Benedictus es, Domine Deus patrum nostrorum, & laudabile, & gloriosum nomen tuum in secula: quia iustus es, in omnibus, quæ fecisti nobis, & uniuersa opera tua vera, & via tua recta, & omnia iudicia tua vera.* Quæ fecisti nobis, ait. Deum ergo fecisse dicit: & rectè & iustè fecisse agnoscit; hinc non tantùm nullæ querelæ extiterunt; sed ad orationem ventum est, immo & ad laudes & ad gratiarum actionem. Qui enim cognitum habent, nihil sine Deo, contingere, omniâque, quæ à Deo veniunt, recta esse, Deum in rebus omnibus laudant. Hinc illud est Dauidis: *Eruentabunt labia mea hymnum: cum docueris me iustificationes tuas.* Quare, quisquis Casus aduersos, iustificationes Dei esse credit, non solum non fit impatiens, sed etiam orationibus, & hymnis gratias agendas arbitratur, atque inter ipsos fluctus, inter leones, inter ignes; in mari, in cæto, in lacu, in fornace accensa, cantat.